



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

31. Dies Augusti. Aurum si amiseris, potes tantundem recuperate tempus si perierit; nec ipsum amissum, nec aliud pro eo potes restaurare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

31. DIES AUGUSTI.

Aurum si amiseris , potes tantundem recuperare
tempus si perierit ; nec ipsum amissum , nec aliquid
pro eo potes restaurare. *Dorotheus Doctrin.* l. 1.

Tempo- I.
ris cele-
ritas.

UT cum fœnore exigas tempo-
antequam exacto tempore jace-
funus: moneat, & moveat jactu-
ra temporis irreparabilis, & illius velocitas, quæ ex-
lat incomparabilis. Perit tibi aurum, devastati agri,
incensi penates, destructa horrea, sublata prædium
abacta pecora: horum, cùm reparari possit jactura
non tanti sunt, ut mereantur deplorari minimâ que-
relâ. Tempus malè impensum, irreparabiliter est e-
missum. Quàm ergò, tibi tua chara est salus, tam cari-
sit carum tempus: hoc tamen, tam carum, quàm est
celeritate velox. Sive enim, currum incitatissimum,
cum abripiuntur omnia potiùs, quàm feruntur, tem-
pus videlicet, mensuram motus cum Philosopho
opinemur, seu cum Speusippo solaris circuitus: seu
cum Alberto magno supremi orbis, seu, cum Proclo
conversionum cœlestium: ubique tamen fateri cogi-
mur, explosarum tormento glandium, & cadentium
impetum fulminis, lentum esse, præ velocitate, quàm
vita hæc nostra cum tempore avolat: quando jam
non dubio calculo probant Astrologi, fixas in celo
stellas, citatissimâ vertigine ultra decies centena mil-
lia leucarum unâ horâ quadragies obire. Hoc ergo
passu, hic vitæ halitus, quem spiramus, fugit: hoc
passu jam inde, ex quo sumus concepti, mors contra
nos rapitur; nec scimus, quo nos vitæ nostræ, qualia-
ve conscientie articulo deprehensura sit: scimus ta-
men

Augustus.

men, tam brevi itinere, tam prodigiosâ pernicitate proruentem, non posse longiùs abesse.

II. Cur non igitur, momento quovis illam parati expectamus? Ad hæc habet tempus, ut motum metiatur successione partium constantem, quarum nullum priùs potest contingere, quàm interierit præcedens, quare nihil junctim, ac simul totum donare nobis tempus valet; sed mancum, & mutilum, semivivum, & semi-mortuum: nam pueritiæ candorem, securitatem, & innocentiam, juventutis vigore, & hunc senectutis judicio, ac prudentiâ perimit. Et cum angusta sint vitæ hujus dona, tam parcè prætere, & angustè distribuuntur à tempore, ut ne vitam quidem, nisi particulatim largiatur, & hanc totidem mortis, quot vitæ destinatum, & comminutam cunctis: quorum unicum tantum, cum ex omni eo, quod effluxit, venturumque est, præsens teneamus; hoc ipsum, ex æquo cum morte dividimus, omnemque pariter: quæ cum illo nobis momento advenit, voluptatem: ut verè non aliud esse videatur hæc vita, quàm mortis umbra. Itaque, ut eques magno vestium apparatu splendidus, & gemmis phaleratus, & navis gazis peregrinis dives, in transcurso cerni, & delectare nequeunt intuentes: sic ista, cum præter volent omnia, & fuis ad mortem habenis properent, quid possunt cuiquam adferre delectationis, nisi levissimum, atque brevissimum.

III. Perspectâ igitur, temporis naturâ, non potest jam esse ambiguum, quàm nihili vita sit, quæ particula est momenti illius, quod tempus nominamus. Ergo hanc jure, alii (a) *Mensurabilem, sive palmarem;*
alii

[a] Seneca epist. 22.

alii fœnum, & fœni florem; alii somnium, umbram, nihilum vocant: & cursore, aquilâ, navi ventis rariore velociorem judicarunt. Hujus tamen partem, minimùm tertiam, cùm decerpatur somnus, mortis que, quàm vitæ, saltem humanæ similior: partem præterea non parvam Infantia, & Pueritia, & senectus; morbis sæpè, ac pueritiâ deterioribus quæ sensum vitæ vix ullum retinent; ergò tenuissimi illius, quo vita omnis redigitur, puncti nobis remanens medium superest; idque tam fragile, & incertum, quod per se dissipetur. Nunc ergò, si tantula est vita, quæ delitiæ, opes, dignitates? omnia hæc, quæ ab eâ habent, ut bona sint: quantula, quàm nihili, quæ spernenda: & quanto, cùm æternis obsint, odio habenda? O stulta hominum studia! Nemo, quàm benè vivat? sed quàm diu, curat: *Cùm omnibus potest contingere ut benè vivant, ut diu, nulli.* Conferamus æternum, constans, & immotum, cùm temporis fuga, lapsuque contexo, Advertamus quantam, & quàm infinitam Æternitas, rebus, quibus inest, adjungat æstimationem, tam nullam, tempus iis, quibus imperat, addere. Minima, beati cujuslibet gratia, immenso censenda pretio, quia immortalis, contra summas hujus vitæ voluptates, quod evanida sint, & brevissimi temporis, nihil pendendas: contentremiscendum ad pœnam quamcunque levissimam, si æterna sit. Eâdem velocitate effluet, qui jam imminet September, quo effluxit Augustus. Vide, ut tam caute, & catè illius tempus impendas, ne eo elapso cogaris dicere, nō ut ille, diem, sed mensem perdidisti. Festina igitur, ut par est, vivere; nam teste Poëtâ

Omni ad mortem herâ, curritur absque morâ.

QUO